

SANCTO RAPHAELI ARCHANGELO,

DEI OPTIMI MAXIMI MINISTRO PRAECIPUO,

JUVENIS TOBIAE COMITI, TUTORI, FIDAE TUTELAE,

UNIVERSO HOMINUM GENERI

MEDICO CONSIGNATO,

HAS GENERALES EX PHILOSOPHIA DEPROMPTAS THESES,

LABORIS SUI PRIMITIAS

OFFERT, ET SACRAT

D. EMMANUEL VICO, ET MARIN,

QUAS IN MAGNO BIATIANAE ACADEMIAE LYCEO

PROPUGNABIT

DIEXXIIIMAI

ANNI DOMINI CIOCCCXCIV,

OPEM FERENTE MAGISTRO SUO

LIC. D. D. HIERONYMO ARVIZU ET ARELLANO,

Tertiae Philosophiae Cathedrae Moderatore,

D. D. D. VINCENTIO PAULO DE OLID ET CEVALLOS,


Ecclesiasticae Historiae Professore, Academiam Regente.

BIATIAE. APUD D. AUGUSTINUM DE DOBLAS,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUM.

Philosophiae ut nucis non omnia comedenda.
Clem. Alex. libro 4. Strom.

*Apes debemus imitari quae vagantur,
et flores ad mel faciendum idoneos carpunt.*
Seneca Epist. 84.



PROPOSITIO PRIMA PRAELIMINARIS.

 HOMINES , quicumque sint, amare beatitudinem , atque ad eam vehementissimo, perpetuoque desiderio ferri , luce meridiana clarius est. Cum autem mala specie quadam boni et umbra tecta sint : plerumque quod *Ixioni* in Fabulis accidisse narratur , ut nempe Deam insectans nubem pro *Junone* amplectatur , id ipsum hominibus frequen-

quentér evenire, ut videlicèt, dùm
 veris certisque inhiant bonis, falsis, et
 apparentibus teneantur, ac irretiantur,
 ex tota hominum historia constat:
 opus igitur habet homo scientia bono-
 rum ac malorum discernendorum, quae
Sapientia nuncupatur.

SECUNDA HISTORICA.

LOGICAE historia tres potissimas
 mutationes, ac veluti diversas ejus fa-
 cies exhibet: in tres itaque temporis
 periodos dividendam esse existima-
 mus; quarum in prima ab institutis
 in Graecia scholis usque ad praedica-
 tionem Evangelii: in secunda ab or-
 bis Christiani exordiis usque ad restau-
 rationem litterarum: in tertia á res-
 tauratis in Europa litteris ad nostra
 usque tempora; quae ejus fuerit origo,
 quae

§
quæ incrementa , quæ vicissitudines,
qui viri illustres eam aut invenerint,
aut exornaverint, roganti lubentissi-
mé exponemus.

EX LOGICA.

III.

LOGICAM, omnium scientiarum or-
ganum ab *Aristotele* meritó nuncupa-
tam, Philosopho necessariam esse di-
cimus, illam videlicet, quæ verum
Philosophum, veritatisque amatorem
decet.

IV.

QUAMVIS tractatio de humane men-
tis natura provincia sit Metha-
physicis, et Ethicis quodam veluti
jure demandata : sunt tamen quaedam
quæ Logicorum sunt propria : prae-
ci-

cipuas nempe animi proprietates discernere *cogitationem*, *appetitum*, *libertatem*, *voluntatem*, *potentiam corpus movendi*, *affectus*: praecipuos etiam cogitandi modos *sensationem*, *imaginationem*, *intlectionem*, *judicium*, et *rationem* explicare, quorum omnium notiones qui desideret, audiet.

V.

DE numero operationum mentis magno quidem animorum aestu inter se disputare solent Logici: nos autem, cum de re constet, totam illam computationem omitendam esse censemus.

VI.

ITA natura sumus comparati, ut videlicet externis quibusdam signis ind-

7

digeamus ad animi cogitationes exprimendas, inter quae proculdubio eminent soni articulati, quos ab actione, et gestu ortum duxisse probabile existimamus.

VII.

ADEO ut temporis initio mos invaluit gestum vocibus immiscendi: ineptiamque suam produnt *Pseudo-Philosophi*, dum *Prophetas*, ut fanaticos damnare audent, propter gesta coram populis. Apage ignorantiam stupidam.

VIII.

DE Scripturae sive communis, sive hieroglyphicae origine aliqua indicare, nostrum erit munus; memores tamen impraesentiarum Logicos tantummodo agere.

IX.

DUPLEX distinguitur disputatio dialectica: *Socratica* videlicet et *Scholastica*. Illa á *Socrate* nomen habuit, quia ea potissimum disputando utebatur *Socrates*, minutis interrogationibus continetur; methodum, si vis, á nobis audies. Haec pressior est, et arctior; quandoque etiam iracundior, atque idcirco foedior: quo pacto instituat, exponemus.

TOTA syllogistica ars tribus axiomatibus, octoque regulis á nobis explanabitur, quas omnes recitabimus simul et explicabimus, si forsitan rogati sumus. Illud autem nemo á nobis desiderabit, ut de syllogismorum figuris, et modis, de operosissima syllogismo-
rum

rum reductione sermonem habeamus, cum haec nullius feré usus sint iis etiam, qui in Scholarum pulvere digladiantur.

XI.

LOGICO, sive inquirenti veritatem danda est opera, ut errores, et errorum fontes, praecipuas saltém investiget, ut nempe salubriora, quae inveniri possunt, remedia tempestivé adhibere conetur. Sunt aliae in animo, aliae in corpore, aliae extra nos positae.

XII.

POTISSIMA errorum, sive cognitionum falsarum, quae pro veris habentur causa dicitur: mentis scilicet brevitatis, ac imbecillitas cum infinita sciendi libidine cunctatae. Hinc tot de

B

re-

rebus in *Damocriti* puteo demersis
quaestiones: hinc illae Philosophorum
in coelum peregrinationes, quibus id
pensi videtur datam esse, ut veluti fa-
bularum Gigantes extra mundum va-
garentur.

XIII.

ACCEDIT etiam voluntatis defectus
cum *philautia*, sive amore proprio
copulatus. Hinc per varia distractio:
hinc ad voluptates propensio: hinc
aversio á labore: hinc denique mala
studiorum electio, unde sequitur ne-
cessario, ut nempé Tirones abster-
reantur, et prius Magistros, post Dis-
ciplinās ipsas *Vatiniano* plusquam odio
prosequantur.

XIV.

AFFECTUS dominantes, et mores
uber-

ubertissimae sunt ignorantiae, et errorum causae; amor praesertim, et odium mirum in modum corruperunt historias, et rem litterariam labefecerunt: hinc immodicus ille sectarum amor: hinc etiam immodicus illae commentatorum laudes, quibus suos quisque auctores in Coelum usque evehit; ac *Divinus* Plato, Aristoteles *finis humani ingenii* audiunt; quin et *illuminati*, *resolutissimi* appellantur non his similes homines, sed quintae, ut ajunt, classis.

X V.

DESIDERIUM quoque, et spes pluribus modis homines deludificantur, ut quotidiana docet experientia. Quid timor? Quám mirificé animum conturbat! Quám majores res exhibet quám revera sunt! *Et solem geminum,*
et

et duplices se ostendere Thebas timentis Pentheo videbatur. Quin etiam affectus iste fabellis de spectris, lemuribus, incantationibus, cometis fecit locum. Quid ira? Sed nostrum non est singulos persequi: de his plura qui desideret, audiet; simulque Logicorum canones, remedia spectantes recitabimus, quibus ab affectuum erroribus tuti esse possimus.

XVI.

MAGNA ignorantiae, et errorum causa proculdubio est corpus nostrum tribus nempe capitibus: 1. Pigritia, et pondere quodam corporis naturali: 2. Temperamento, á quo phantasia ut plurimum pendet: 3. Sensuum, aut paucitate, aut imperfectione: quorum remedia dicemus rogati.

XVII.

XVII.

CUM externae errorum causae multae, ac variae sint, nos tres potissimas indicabimus: Parentes nempé, Populum, et Magistros: quo nomine etiam libros consignamus.

XVIII.

IDEARUM originem Logico non licebit ignorare: qua de re cum multae sint doctissimorum virorum opiniones, tamén si magistram rerum experientiam observaverimus, eos dicemus aequo Jove judicasse, qui omnes ideas á sensu, et meditatione originem ducere asseruerunt; ita ut de his duabus idearum humanarum fontibus meritó dici possit quod de XII. TAB. Juris Romani exordiis *Ennius* Poeta.

*Flumina magna vides
parvis ex fontibus orta.*

XIX.

HOMINIS mens , utpoté imbecilla, et tarda abstractis indiget ideis , ut sibi plura simul objecta repraesentet, proindeque generalibus utimur vocabulis, interquae primum locum habere debent : *ens* , *essentia* , *substantia*, *relatio* , *possibile* , *infinitum* , *simplex*, *perfectio* , *ordo* , *pulchrum* , *necessitas* , *duratio* , et *causa* , quorum notiones , si quaeris, dabimus, et exemplis etiam illustrabimus.

XX.

AETERNAM contingentium causarum seriem , qua *Democriti* mundus continetur , intrinsecús impossibilem, vel potius meram insaniam esse, demonstrabimus.

XXI.

XXI.

MULTIPLEX in mundo existit substantia ; rejiciendus itaque *Pantheismus* , sive absurdum illud , atque impium *Spinozae Systema*.

EX THEOSOPHIA.

XXII.

DEUS O. M. *si unus non est , non est* dicebat olim eleganter Tertulianus : (*libr. I. contr. Marc.*) Unicum ergo esse ratio naturalis invicté probat.

XXIII.

DUPLEX igitur non est principium aeternum , sive duplex Deus , alter boni , et alter mali auctor : qui quidem error de duobus principiis á *Chami*

mi posteris una cum Idololatria ortus fuit, et á *Manichaeis* magnoperé disseminatus, ut historica monumenta aperté testantur, quae summatim, si rogas, perlustrabimus.

XXIV.

MALUM cujusque generis sub unico ente summé perfecto consistere posse, nemo est qui non videat.

XXV.

DEUM esse summé providum adversus *Lucretium*, *Spinozam*, *Telliamedum*, aliosque *Deistas*, teterrimos nempe humanitatis hostes, Christiana Philosophia luce meridiana clarius ostendit.

EX PSYCHOSOPHIA.

XXVI.

MENTIS humanae originem, solam esse creationem, sanae mentis homo dubitare non potest. Nam et *Pythagorica* Metempsychosis, et *Stoica* é Dei substantia emanatio, et *Traducianorum* é Parentis anima portio, rationis, Fideique luminibus adversantur.

XXVII.

Quo pacto mens corpori uniatur, ac unita perstet, hucusque in abditis est.

XXVIII.

PERIPATETICORUM tamen opinionem, sive *Influxus physici* systema ad mentis cum corpore unionem explican-

C

dam.

dam, perpendemus; et, quae in illo falsa, quae ad veri similitudinem conficta sint, enodabimus.

XXIX.

SYSTEMA *Harmoniae praestabilitae* à *Leibnitio* excogitatum, lepidam esse fabulam, demonstrabimus.

EX ETHICA.

XXX.

QUORSUM tot tantorumque Philosophorum in assignando felicitatis objecto mirabili certé dissensione discrepantes sententiae? Si enim mortales omnes, quicumque sint, sive veteres, sive recentiores summi boni characteres nec divitiis, nec honoribus, nec famae, nec potestati, nec voluptati, nec aliquae tandem rei creatae

ap-

aptare possunt ; Quid ergo superest, nisi in solo D. O. M. *objectivam*, ut ajunt, *beatitudinem* collocare, hominum videlicet *mercede*, *bravio*, *justitiaeque corona*?

XXXI.

DOGMA de futuro animarum statu, quo bonos manent praemia, malos autem poenae, adeo apertum est, ut Gentilis etiam atque Poetica Philosophia id ipsum agnoverit : hinc tota illa Inferorum doctrina, qua *Ethnici Philosophi*, et impiorum poenas, et *Campos Elysios* significant ; Quem non terreant *Cocytus*, tricepsque *Cerberus*, et statutae illae apud Inferos poenae ? ; Fabulae nempé ! At Fabulae quae et naturae vocem, et rei veritatem, et tandem hominum gentis traditionem, fictionibus licet

cét coinquinatum, repraesentant.

XXXII.

CUM statim ac nati sumus nos sum-
moperé diligere, nostrique corporis
conservationi consulere voluit procul-
dubio naturae Optimus Auctor, *Sui-
cidium*, propria voluntate commis-
sum, actum esse revelionis erga Deum,
Societati maximé noxium, et tan-
dém horrendam erga homines ipsos
crudelitatem, cordatus negabit nemo.

XXXIII.

DUELLUM, grecé *Monomachia*, jure
divino, naturali, et positivo prohibi-
tum, illicitum apud homines esse, sa-
nae mentis homo negare non potest.

XXXIV.

DIVINUS naturae Auctor, ut homines inter sese arctioribus vinculis devinceret, ac veluti colligaret, hanc legem posuit, ut nempe: *non omnis ferat omnia tellus*, sed hic segetes, illinc venirent felicius ubae; quae sane causa fuit, qua moti commercia inter se instituerunt mortales.

XXXV.

RECTAE rationis dictamen exigit, ut in omnibus contractibus, in quibus mutuae sunt praestationes, aequalitas inter eas jure naturae servetur; cum autem haec obtineri aliter non possit, nisi res inter se, operae vé commutandae compararentur, aestimatione, aut quantitate singulis rebus operis-
vé

vé attributa ; et cum aliás , ut docent Jurisperiti : non sempér , et facile conveniebat , ut cum tu haberés , quod ego desiderarem , invicém haberem , quod tu accipere velles : electa fuit materia , cujus publica , ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationis aequalitate quantitatis subveniret. Atque hanc materiam , et pretium eminens , et nummum , et pecuniam mos est appellare.

EX MECHANICA UNIVERSALI,

XXXVI.

MOTUS scientia , quae *Mechanica* vulgó nuncupatur , Recentiorum Physico-Mathematicorum , Joannis Antonii Nollet , Petri van Musschembroek , D. Paulian , Euler , Marly , aliorumque studio , ac labore adeó exculta , et

auc-

aucta est , ut totius Philosophiae pars
utilissima , et jucundissima nostris
temporibus jure atque meritó habeatur.

XXXVII.

Est motus , atque propagatur , fre-
mant licét veteres quidam Sophistae.
An veró sit ens quoddam , ut ajunt,
physicum , sive sui generis substantia:
an idea primúm in hominum mente
generata , postmodum cum corporibus
communicata : an aliud nescioquid,
nullus unquám Philosophorum perspi-
cué docuit.

XXXVIII.

CELEBERRIMAM illam controversiam
Leibnitianos inter et *Cartesianos* mag-
no animorum aestu agitatam : de mo-
tus quantitate , justaque virium mor-
tua-

tuarum, ut vocant, et vivarum aestimatione, jure atque meritó summove-
re tentarunt *Buschovichius*, *Jacquie-
rius* aliique viri praeclarissimi; tan-
tam nempé litem in *Logomachiam* de-
sinere existimantes.

XXXIX.

LEX illa *Continuitatis* anno 1687
á *Leibnitio* in *Otbem* Philosophicum
evulgata, et contra Cartesianas motus
leges adhibita, postmodumque á lectis-
sima D. de *Chatellet* magis atque ma-
gis illustrata, nullomodó figi potest
pro universalissima naturae lege.

XL.

Motus duplex distinguitur, *simplex*
videlicet et *compositus*: utriusque le-
ges,

25

ges, sive certas, ut vocant *Dynami-*
cae, regulas, á Deo O. M. sapientissi-
mè constitutas, à justis quas corpora
constantèr moventur, lubentèr in Sce-
nam adducemus. *Idem*

COLLISIONE corporum motum com-
municari nemo est qui non videt; di-
versimodè tamen evenire certo certius
est, prout nempe corpora sunt sive
dura, sive *molli*a, sive tandem *elasti-*
ca. Verum autè cum corporum colli-
sio, quotidiana hominum experientia
docentè, triplici in casu contingere
possit, *Idem* Physicorum leges corpora,
quaecumque illa sint, sese collidentia
spectantes, recitare simul et explicare
nostrum erit munus.

D

COR-

XLII.

CORPUS perfectè elasticum sive ad perpendiculum, sive obliquè in planum immobile et politissimum irruens, tunc ita reflectitur, ut angulus *reflexionis* sit aequalis angulo *incidentiae*.

XLIII.

CORPUS ad perpendiculum transiens ex uno medio in aliud quodcumque, non refringitur, sed eandem lineam pergit describere; obliquè autem transiens à medio rariore in densius refractionem subire debet à perpendiculari; à densiori in rariorem fit refractione ad perpendicularem.

ΕΚ ΤΗΣ ΣΤΑΤΙΚΗΣ

XLIV.

ILLA *Mechanicae* pars, *Statica* nuncupatur, quae videlicet de gravium solidorum aequilibrio agit, ac machinas tradit, sive instrumenta quaedam juvandis hominum conatibus accomodata; quibus omnibus haec sunt necessario distinguenda *pondus*, *potentia*, et *fulcrum*, quod etiam dicitur *centrum motus*, *punctum suspensionis* et tandem *hypomochlion*.

XLV.

MACHINAE aliae dicuntur *simplices*, *compositae* aliae; istarum nullus est numerus; inter illas vero primum locum sibi merito vindicat *vectis*, cujus triplex species distingui solet, quarum *tertia* machinae nomen non meretur; de

de omnibus rationem reddere parati
sumus, simulque problemata quaedam
Physicorum solvere (Lugdunensi Co-
llegio duce) promittimus.

XLVI.

PRINCIPIUM generale *Staticae* dicitur illud, nempe corpora duo, quorum $P : p :: d : D$, sunt in aequilibrio, quod in *vectori* demonstrabimus.

XLVII.

AD primam et secundam *vectoris* speciem reduci solent machinae omnes, quorum ope homines in suos usus gravissima onera, et ingentes moles vi parva movent; ad primam itaque pertinere dicimus: *Libra vulgaris*, *Statera Romana*, *Forcipes*, *Molae aquae vel vento versatiles*, *Axis in Peritrochio*, *Trochlea immobilis*, *Rotae dentatae*,

tatae, Planum inclinatum, Cochlea;
ad alteram vero spectant: *Remi nauti-*
ci, Culter pistorius, et Cuneus, de
quibus omnibus verba faciemus; sed in
his non est cur diutius immoremur. Ad
alia igitur.

EX ASTRONOMIA GEOMETRICA.

XLVIII.

UT corporum cœlestium scientia fa-
cilior fieret, excogitarunt *Astronomi*
circulos, ad quos omnes motus, et va-
riationes refferrent; ex quibus *Sphæ-*
ra, ut vocant, *Coelestis* coalescit. Ex
iis sex *maximi* appellantur, *meridia-*
nus, scilicet, *horizon, æquator, eclip-*
tica et *coluri*; quatuor *minores*, *tropicus*
Canceri et *Capricorni*, duoque *polares*;
globus autem ipsemet *terraqueus*, qua-
tenus in ipso iidem circuli, eademque
punc-

puncta designantur ac in *Sphaera armillari*, *Sphaera terrestris* nuncupatur, cujus diversas positiones, et quid unicuique proprium demonstrare nostrum erit; et tandem de Terrae Incolis rogati aliqua elucidabimus.

XLIX.

PHYSICORUM observationes suadent Terram, licet sensibilibiter *Sphaericam*, esse veré *sphaeroidalem*, ad polos nempe compressam, et sub aequatore elevatam.

IN quolibet Mundi Systemate, sive *Ptolomaico*, sive *Copernicano*, sive *Tychonico*, (quae quidem omnia ad examen revocare quarto atque postremo certamine promittimus) solvere

curabimus problemata illa geographica, videlicet: quod *qualibet diei hora sunt omnes simul*: quod *duo homines eodem die, hora, et minuto nati, moriantur diversis diebus, horis et minutis, licet aequali tempore vixerint*: quod *in una eademque hebdomada dies Mercurii, vel Jovis, vel quicumque alius possit bis saltém quandoquē reperiri*. Plurima sunt his similia, proindeque simili modo solvemus et demonstrabimus; nobis autém haec *impraesentiarum attigisse plusquám satis.*

O. C. S. R. E. S.